

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 63.

*Secretum litterarum commercium inter Vivos
et vita functos.*

Ad D. Olaum Celsium — in Elysio.

Ex mundo superiore.

Elysium-Meum. Die Veneris. 7. Sep. 1810. (Neov. 24. Aug. 1810.)

Memorabilis descriptio Sveciæ, quam Illust. Dominatio Sua, Dne. Episcopo! ceu Cunas quarumvis Europæarum Gentium in sua Eri-ci XIV. Historia oculis proponere nititur, multam, expenso Romæ oculo, historicam probabilitatem præsert. — „Ex Scandinavia, ait Dominatio Tua; ii populi, qui Gothi, Vandali, Franci, Allemanni, adpellantur, originem suam duxere — se per Germaniam, Galliam, Hispaniam, Italiam diffundere, incolas earum provinciarum subjugum misere & sedes fixere.”

Porro contendit D. T. bellicosam & occupationes spirantem hanc indolem continuo Sveciæ insedisse, in ea perdurasse, ad quod demonstrandum argumentum adfert: Sveciam bello tricennali hunc nisum declarasse luculenteque probasse. Quod in eo ex omnibus Europæis Statibus maximam, perseverantissimam & longissimo tempore, personam e-

gerit. — „Prorsus naturæ conformiter! —
prosequitur D. T. — gentes inclementis fri-
gidi climatis calidius feliciusque adpetere de-
bent, quod in dorso suo versus Polum arcti-
cum meliorem conditionem sibi præparando
impares sint.”

Conjecturæ hæc grandium, queis Svecia
gloriatur, eventorum, valorem suum habere
possunt. — Ast ego existimo: Epocham bel-
li 30 annorum quam encemio ad sidera D.
T. tollit, ipsam hanc Epocham Causam fuisse,
quod patria tua alii æque boreali potentiæ
cupiditatem magis adhuc regulares occupa-
tiones faciendi irritarit, & postea elegantis-
simarum ditionum suarum jacturam tulerit.
Rationi politico consentaneum fuisset, non
bellis se cum aliis Statibus implicare, ve-
rum utrumque borealis situs sui latus tutum
reddere. At at ipsum Caroli XII. molimen,
qui in Polonia, Saxoniam, & Silesiam victorem
se gesserat, ipsum inquam fulminis hujus
belli molimen Sveciæ vires ademerat, unus-
que fatalis ad Pultavam dies, una Clades,
jacturam nobilitatis Livoniæ, in cujus territorio
metropolis hodie Imperii Russici fulget, con-
sectarium habuit. —

Perspectum est Dno Episcopo, quid ho-
die in patria sua agatur, quo loco res & ne-
gotia consistant. — Status in Urbe Oerebro
congregati sunt, novam Dynastiam stabili-
endi causa — ad Electionem successoris so-
lii, & Coronæ hæredis proceditur. — Can-
didatorum profecto penuria & inopia non

erit, quamquam diadema humeris grave onus sit. — At Electorum sapientia in his Sveciæ adjunctis sagaci vinculo conjuncta sit oportet, ne in tam momentosa mutatione allus error irrepat, qui in futurum effectum exerere posset — dum secunda fortuna adest, multa cum successu mutari possunt — est dum sinistra dominatur, tum ut id genus momentosa mutatio in effectum deduci possit, plus quam vulgares conjecturæ supputandæ prævie desiderantur. —

Hamburgenses Ephemerides scribunt: „Secundum novissimas *Holmia de 10. h. litteras*, nihil ibidem certi de Coronæ hæredis Electione constabat. — Ipso, quo pluralitas Electorum super eo convinci volebat, tempore: electionem infallibiliter Duoi Augustenburgico cassuram, alii vocem attollere: adpulso Parisiis Cursore, opinionem denovo invalescere: celebrem Belliducem solio admovendum esse; — cum anxietate nuncia ex Oerebro expectabantur. —

Alia *Hamburgo* paginæ sub inscriptione *Dresda de 13. Aug. seqv.* memorant: „finis itineris Comitum a Gottorp erat, pro filio suo Gustavo Principe successionem procurandi.”

Hæc & non plura de Svecia. — Adnecto alia soitu non indigna aliqua Nova:

Hamburgo 18. Aug. Ex multo tempore nulla novitas adso nos adfecit, tantamque sensationem excitavit quam nuncium hac hebdomade primum per Amstelodamum allatum: Decreta Berolinense & Mediolanense abolita

& revocata esse. Eodem tempore Cæsarem de 5. Aug. Decretum promulgatum esse: quo statuitur: novum vectigal idque majus in merces Coloniales importatas defigi: quo factum: ut opinio invaluerit hujus Editionem cum illius abolitione & revocatione nexu quodam jungi, existimabaturque primo rei articulo perfecte liberum Neutralium cum Gallia commercium locum habiturum. Verum; ut ex litteris Ducis a Cadore ad legatum Statuum Foederatorum dignoscitur, Decreta Mediolanense & Berolinense *Conditionate* duntaxat abrogata & revocata esse, ex hoc tempore a favorabili hac opinione descitum est. Interim omnibus his nihil obstantibus negotium ad liquidum perductum sufficienti ratione nondum est. — Noviores Amstelodamoni nuncii motiva edendi Decretum de 5. Auguste sequentibus in adjunctis quærent, & deprehendisse se existimant:

Vectura cum venia (Licentiis) ad portus Gallicos, exportatioque frugum ex ea, aliquanto, ut constat, tempore impedita fuit quod Gubernium Anglicanum cunctaretur, Gallica vina admittere, quo factum: ut ex parte Galliarum Interdictum fruges exportandi mari consequeretur. —

Videntur novæ tractationes in & super hoc argumento intervenisse, & agitati fuisse, per quas utraque pars nonnihil ad consensionem deductæ sunt; die videlicet 7. h. m. in Londinensi arcano Senatu decretum perhibetur, partem oneratarum mercibus navium,

ipsarumque mercium ex Gallia venientium
vina continere vinaque esse posse, si por-
tus Gallicos licentia petentes naves par-
tem onerum suorum colonialibus mercibus
assumere potuerint. Ex quo fieri posse con-
sequitur: hanc ipsam ob rationem novum
vestigal in Gallia defixum esse, — modica
spes uberis messis, & per occupationem Hol-
landiæ difficilior reddita advectio aliquorum
productorum in secreto Anglicano Conclavi
quamdam mansuetudinem exoperata vi-
detur. —

B I O G R A P H I A.

D. Olaus Celsius Episcopus Scaniæ &
Blekingæ, Commendator ordinis Stellæ bo-
realis &c. celebritatem nominis cum primis
adeptus per Historiam Gustavi Vasa & Erici
XIV. obiit Luadæ die 15. Febr. Anno 1795.
ætatis 80. Erat unus ex optimis & lectissimis
scriptoribus Sveciæ, præprimis in argumen-
to historico — atque pro vitæ, quod secu-
tus, genere, ferme justo major Politicus.

Celsius (Andreas) celebris Professor Astro-
nomiæ in Universitate Upsaliensi natus 27.
Nov. primo seculi octavi decimi Anno. — in
eadem quam eximii doctoris laude illustra-
vit urbe; avus ejus erat celeberrimus Professor
Mathematicum in eadem Academia Upsalien-
si Magnus Celsius Anno 1679 ætatis 58 anno
mundanis exutus. Celsius præcipuam operam
dedit disciplinis mathematicis, anno 1732
patria exoedens iter suscepit in Germaniam,
Italiam uberioris culturæ mentis gratia, atque

1734 Parisios advenit. — In hac urbe Status Secretarius Comes Maurepas eum obseeravit, datus eximii viri Ingenii dotibus, ut clarissimi Maupertuisio & sociis se itineris comitem adjungeret, quod hi, in Laponiam figuram telluris explorandi ergo, parabant — hanc Celsius invitationem ambabus amplexus ulnis, prius tamen in Angliam 1735 iter instituit, instrumenta ad doctam hanc expeditionem necessaria comparaturus; & 1736. Dunquercam, quo interea docti itineris socii concessere, sospes adpulit. — Pro hoc labore ac impensa opera a rege Galliarum 100 librarum Gall. pensione annua, & Quadrante Astronomico donatus, cujus usus Tomæ habebatur. Hæc & aliæ occasiones tam nobilem eum reddidere, ut ab Acaemiis pluribus Berolnensi, Vindobonensi, & Holmensi, præterea a Regia Societate Londinensi membrum crearetur. — Obiit diem supremum in optima ætate quadragesimum paullo supra ætatis in sublimium Scientiarum cultura tractationeque exactæ annum agens, III. Nonis Maji 1744. — Multæ ab eo eruditæ habentur Dissertationes.

Olaus Celsius Professor & Doctor egregius Theologiæ & Philosophiæ Upsaliensis, vivis excoessit 24. Junii 1756. anno ætatis 86. celebratissimum ejus opus habetur. *Hyerobotanicon.*

Quædam ex Diario Politic. Eventorum.
Londino 11. Aug. Ex omnibus ministerialibus adparatibus elucet: copiis nostris in Por-

tugallia firmo pede consistendam esse. Mense enim Julio legiones 7 & 23. Hæfæziæ commorantes jussu acceperunt quo ocius naves conscendendi, Ulissiponemque petendi — quod reapse factum & perfectum est. — Nota est Ministerum nostrorum profunda providentia — videntur prævidisse copias nostras in Portugallia consistendo impares esse, seorsus, quæ duarum novarum legionum expeditionis ratio? Eventus paullo post docebit longitudinis providentiæ ministerialis mensuram, de profunditate interea suspendimus iudicium. —

Litteræ Bostonio Americæ de 26. Junii ferunt: Floridum Occid. proclivem se ad amplectendam Statuum Foed. clientelam præbuisse, imo & tractationes super eo jam coepisse. — Statibus Americanis foederatæ Civitates, ut olim Helvetiæ, se adjungunt.

Washingtonii studia divisa sunt. — Ephemerides Americanæ de Cal. Jun. ajunt: quæstionem agitari: an Anglis bellum declarandum sit? — quæ Novembri diei deditur primum, utpote Congressus tempore.

G a l l i a.

Inter Cæsarea de 18. Aug. Decreta a Monitore promulgata cum primis memorabile primum, quo decernitur: ex Calendis Jani 1811 nulla arcana Medicamenta vendi am-

plius licet; etiamsi eorum Inventores, aut possessores super his privilegium impetrassent, contra: Impetrantibus eorum talium liberum est, Formulas medicas horum medicamentorum ad Ministerium negot. int. transmittere, a quo examini substrata, si probata fuerint, ab Inventore aut possessore redimentur, publicisque usibus exponuntur. —

Singulare fecunditatis exemplar Andreas Pearse, operarius in Fabrica velorum Bristolii Anno 1801. 20. Jan. desponsavit sibi Joannam Taylor, cumque ea intra sexennium 14 genuit liberos — Tres filii nati 1. Oct. 1801. duo 3. Oct. 1802. puellus puellaque 16. Julii 1803. alii gemini 13. Maji 1804. puer puellaque rursus 14. Febr. 1805. iterum 14. Jan. 1806, denique 16. Nov. 1807 filius ei natus est.

Helvetia

ex germanico.

Coerulei ornis fulgentia cornua montis,
Aureus hæc radiis Hesperus irradiat.
Helvetiæ sidus fines hoc indicat oræ.
Aurea libertas, in quibus alma viget —
Eheu dulcisonam vocem, bellamque, benignam!
Dic ubi nam regio, dic locus iste jacet? —

